

*164* I. N. J.

*7.83*

PRÆVIA NUMINIS GRATIA,  
Et Suffragante Ampliss: quod Aboæ est,  
Philosophorum Collegio,  
Sub PRÆSIDIO

Rectoris Academiæ Magnifici  
*Viri Maxime Reverendi & Celeberrimi,*

DN. M. JOH. *Munster/*

Phil. Pract. & Hist. Prof. Ord. Eccl. Urb.  
Fen. Pastoris longe meritissimi, ante Nutri-  
toris, nunc Mecænatis sui optimi, perenni  
pietatis zelo colendi,

*περὶ*

THΣ MHΔEIAΣ  
*Sive de*  
LUCTA RECTÆ RATIONIS  
& ADPETITUS,

Poëtico-Moraliter,

*Pro Solenni in PHIL. GRADU,*

Die 20 Martii, A. 1709, loco horisq; solitis,  
*Modeste difficit*

S. R. M. Strip.

PETRUS GASLANDER. Smol.

Exc. Jo. WAL.

In DEUM & REGEM

Viro Spectatæ Fidei

Summe Reverendo & Amplissimo Domino

DN. MARIA ANDREÆ GOEDING,  
Diœcœseos Wexionensis Archi-Præ-  
posito, Senatus Ecclesiastici Vice Præ-  
sidi, nec non Templi Cathedralis &  
Ecclesiæ Bergundensis Pastori, Cele-  
bratissimo, justissimo Gravissimoque;  
Patrono ac Studiorum Promotori Ma-  
ximo, humili & sincera mente ja-  
giter colendo.

*Adm: Reverendo atque Praeclarissimo Dn:*

DN. MARIA JONÆ SELLMAN,  
Theologo Regii Gymnasii Wexionen-  
sis Primario acutissimo, Consistoriali  
Seniori Gravissimo, Pastori in Weders-  
löf & Denningelanda dignissimo, ante  
Præceptoris fidissimo, nunc Promotori  
certissimo æstatem suscipiendo,

Ut

*Reverendo & eruditionis*

DN. ABRAHAMO

Pastori in Giardgnås meritissimo, Fautori

*ANNOS, INCOLUMITATEM*

S.æ R.æ M.ti  
ab officiis & fide

Amplissimo, multaq; rerum civilium peritia  
per celebri Viro ac Domino,

DN. JONÆ NYMAN,  
Judici, per tria Territoria, juris & æ-  
qui observantissimo, accuratissimoque,  
Mecænati & Evergetæ Magno, mul-  
tis nominibus venerando.

Reliquis Pariter Adm: Pl:q; Reveren-  
dis ac Clarissimis Dom: Magistris S: S:  
Theol. & Philos: in dicto Gymn:  
LECTORIBUS Celeberrimis & Colle-  
gii Sacri ASSESSORIBUS æquissimis,  
ut, ante aliquot annos, Præceptoribus  
optimis; ita nunc Promotoribus suis  
propensissimis, nullo non officiorum &  
obsequiorum genere perpetim  
proseguendis.

&;  
laude conspicuo Dn:  
ANANDRO,  
suo veteri probatissimo, multum honorando.

ET PROSPERA CUNCTA !!!

**Q**uod Medea furens Vestris se sisas  
ocellis,  
Me duce, & audacter Nomina Vesta  
gerat,  
**O**rdo Verende Virum! faciles ignoscite  
quæso!

Namque bonis nimium displaceat ille furor!  
Sed quia nulla mea se gratia prodit opella,  
Hanc illi cupio Nomina tanta dare.  
Tum, si quid potui, Reverentia debita Vobis  
Et mea me Pietas tale dicare jubent:  
Tale dicare jubent Benefactaq; plurima sape  
Præstata, præstari que magis usque peto.  
Vobis ergo mea tenuis textura Minervæ,  
Sit munus gratum! quam mea dextra dedit.  
Est opus exiguum; Vester Favor augear  
illud!

Plurima sape Favor vilia grata facit;  
Est prolixa tamen mea mens, que candida  
crebris  
Pro Vesta votis Prosperitate caleat.  
Amplissimorum Vestrorum  
Nominum

humillimus cultor  
P: G:

\*\*\*\*\* I \*\*\*\*\*

ΠΡΟΟΙΜΙΟΝ.



Ostquam ab orbita  
innocentie declina-  
verat homo, man-  
sit manebitque in-  
conclusa veritas ef-  
fati, firmo & pa-  
tienti animo omnem  
devorantis molesti-

הלא—**צבא** לאנוש על־ארץ  
i. e. Nonne militia est homini super ter-  
ram? Voce **צבא** h. l. nec per tempus præ-  
finitum, nec περιεγένετον, quicquid dicant  
Interpretes, exposita: cum, non quidem bel-  
lum formaliter, sed stationem milita-  
rem denotet (conf. loc. paral. c. 14. v. 14.)  
nullam bæc lex admittit dispensationem, pu-  
gnandum, quamdiu vivitur, **לאנוש** hominæ  
civis, nullo excepto, & id, acripiti sape mar-  
te, vocabulo hoc ab **אֲבָשׁ** infirmitatem innuente.  
Hostes varii sunt & innumeri, iidemque &  
externi & interni, quorum proprieores etiam  
difficiliores; Quid enim prodest hostem de-  
bellasse externos, si predatores intra mœnia

latitent? Hujusmodi aliquam pugnam luci  
publicæ daturō mihi, non sine causa, succur-  
rit monitum Publī Syri:

Tecum habita & nosce, quam sit tibi  
curta supellex;

Imo, mecum habito & novi, quam sit mibi  
curta supellex, eaque, & ingenii, & fortuna-  
rum, adeo quidem, ut nulla prorsus spes fuit  
emergendi; Ultramque autem ut augerent,  
pro virili allaborarunt Præceptores mei, &  
beic & in patria, ut de tota re literaria, ita  
de me optime meriti, unus item alterve alias,  
& illorum nonnulli, præ ceteris, egregie; quo-  
rum Nomina, nisi summa ipsorum obstante  
modestia, nunc venerabundus apponere: qui-  
bus omnibus, cum de referenda, quippe quod  
sibi reservavit Cælum, ne cogitandi quidem  
relictus sit locus, gratias ago habeoque im-  
mortales. Tu autem DEUS mi! qui his,  
velut mediis, usus, τὴν καὶ βάσει πίστην  
ita levasti; atque, ut ex 1 Sam: 7. v. 12.  
עַד־הַמָּה עֹזֶנוּ וְהִזְכִּיר letus dicere queam, feci-  
sti! Qualem אֲבָנָה תַּחֲזִיק Tibi erigam? ad Te  
supplex configio cernuus precatus, digneris  
tenues bos conatus in optatum dirigere fi-  
nem, Tuamque Gloriam!



Mnem universæ Poëseos vim, ac velut animam, in *imitatione*, non tam illa, quæ ad exemplum vetusti cujusdam Poëtæ componitur, & in ipso pangendi carminis exercitio consistit, quam ea, quæ ipsum rerum, actionum autem, cum primis moralium Φυσικῶν καὶ ἡθικῶν exprimere apta nata est, sitam esse, Poëtarum accuratior lectio, totusque sapientum chorus abunde satis docent atque evincunt. Ridetur proinde ab illis, vapulat autem ab his, imperitum vulgus, quod Poëtas, divinos cum Platone dicendos, cum revera θεοῦ οὐ in illis reluceat, aniles vendere nugas proterve garrit, eorumque scripta futile vanorum & mendacium hominum figmenta promiscue proclamat: Cum tamen, ut taceam tantum non omnia Philosophiæ præcepta, fabularum involucris antiquitus fuisse con-

tenta; quam maxime (λόγοι excipiuntur ἀργοὶ & Poëeos veræ abusus) ut habet πλυτρύλλεν;

*Et prodeſſe velint, & delectare Poëta.*

Utrumque præstant per Σαφῆναι & Κρύψι. Insanire quidem dicuntur, sed cum ratione. Nec mendacii argui queunt, cum ejus absit *formale, animus scil. fallendi*; licet res exprimant, non modo quæ sunt, Sed & quæ non sunt, quasi essent, easque vel ut esse deberent, vel possent; quod, velut arcanum, in Poësi tenendum, & est præcipua inter Historicum & Poëtam distinctio. Virtutes & vitia, more Pictorum coloribus & luminibus, ut vivas, oculis observari credas, ita res ob oculos ponentium, ut personas introducunt, & id, ut s̄aviter a rudioribus imbibantur virtutes, fugianturque vitia. Inter insignes antiquas fabulas est etiam hæc, quam nobis sumsimus strictim delineandam, *Medea.*

## §. II.

Hujus parentes, *Aetam Colchorum Regem, & Idyiam*, Fratremque *Ablytum* faciunt Poëtæ: qvæ Jasonis, cum lectissima Thessalorum manu in Colchos, ad aureum Vellus jussu Peliiæ capiendum, navigantis amore capta, ne periculorum magnitudine obrueretur verita, facit, data sibi fide matrimonii, per magicas artes, ut vim periculorum nullo negotio superaret, & præda petita tuto auferenda daretur. Fratrem vero sibi a patre, dum ad Argonautas pergeret, immisum ac insequentem necasse membratimque disceptum, ut cursum patris insectantis retardaret, disjecisse dicitur: ut habet etiam Ovid. Lib. 3. Trist. Eadem magicæ artis peritissima, fluvios in suos fontes retorsisse, sidera lunæque cursus ligasse, senes etiam juventuti restituisse, & alia complura perpetrasse fertur admiranda. Hæc breviter, longum foret omnia referre, de Medea historice, licet non dif-

fiteamur varie a variis omnia tradi:  
 qvod argumento esse potest fabulosa  
 pleraque esse ( forte aliquid veri subest,  
 quod tamen erui vix poterit ) qvæ de ea-  
 dem habentur; præter id, qvod ipse Ovid.  
*in Medic: Fac:* revocet, qvod alibi de ipsa  
 protulerat :

*Nec, inquit, Redit in fontes unda supina suos.*  
*Et mox: Nunquam luna suis excusietur equis.*  
 Aliud ergo sibi hæc ipsa volunt, quod  
 jam paucis videamus.

### §. III.

**M**edea consilium notans, μῆδος enim a  
 μάω vel μῆδουαι, consilium est, Aetæ  
 filii solis & Idyiæ, quæ quasi ἐιδῆα pro  
 ἐιδηκῆα, i. e. cognoscens dicitur, filia  
 fuit; consilia enim superne, præeunte  
 cognitione, capiuntur: Jason autem  
 Αἰλone natus, cui se adjunxit, Δῆδη  
 iāδαι nomen habet, quo ipso indigi-  
 tatur, eum, qui prudenter animo me-  
 dicinam adhibet, facile sideribus ad li-  
 bidinem invitantibus dominari, effræ-  
 natas cupiditates vincere, earumque de-  
 siderium negligere posse; Sicut hæc  
 side-

siderum stitit cursum, filios fratremque  
discerpsit, patremque reliquit. Alii Me-  
deam artem Circes sive naturæ soro-  
rem esse voluerunt: Ars namque pro  
viribus imitatur naturam, eo perfe-  
ctior quo propius ad ejus accedit simi-  
litudinem. Alii sceleratam & libidino-  
sam eam dicunt: quare etiam tandem  
in extremas miserias, omniumque odi-  
um incurrens, demum in desperationem  
prolapsa est, ut est apud Sen: Trag. atq;  
ita ostendendo neminem sceleratum diu  
esse felicem, ad integritatem homines  
perducere voluerunt Poëtæ. Nos, si  
tres hasce sententias ita conjungamus,  
ut Medea, consilii quidem plena, arte  
quam maxime valuerit, libidine tamen  
victa, variis se totam daret flagitiis, non  
usque adeo erimus absurdii. Et quem-  
admodum veteres Ulyssiem rationis par-  
ticipem animæ nostræ particulam, Cir-  
cen naturam, Ulyssis vero socios cor-  
poris affectus rationi repugnantes esse  
crediderunt; teste Nat. Com. Ita per  
Medeam, ipsam, inter facultates superio-  
res

res & inferiores, pugnam significari  
aperte satis ostendit Eurip. in Medea, &  
ex eo Ovid. L. 7. Metam: ubi inter alia  
si. habet:

*Et luctata diu, postquam ratione furorem  
Vincere non poterat; frustra Medea repugnas,  
ait. & post pauca; Si possem sanior essem;  
Sed trahit invitam nova vis: aliudq; Cupido,  
Mens aliud suadet. Video meliora proboque:  
Deteriora sequor. - - -*

Denique diu multumq; hoc nefas secum  
volvens versansque animo, Medea, mo-  
do metu, ne, velis sine se vento datis,  
pœnæ ob proditionem reliqueretur, de-  
territa; modo spe erecta, ut illo conjugé  
felix, sidera vertice tangeret: verbo,  
jam terga dante cupidine vincit, jam  
relucente flamma vincitur, tandemque  
victa succumbit. Nec aliter se in aliis  
sceleribus perpetrantis gessit; vid. Sen:  
Trag. aliique. Quomodo clarius lucta  
illa, quam nemo mortalium est, qui  
non sentit, plurimi in eadem vietas dant  
manus, quam etiam nos suscepimus  
tra-

tractandam, suis depingi possit coloribus,  
non video. Videri etiam potest Stiernh:  
in suo Hercule; quem victoriam certa-  
minis facit reportantem.

## §. IV.

**T**res in homine dari animæ, vel facul-  
tates, vel potentias, quibus vivit,  
sensit & intelligit, ex scient: Natur: notas  
ibidemque explicatas presupponimus;  
quarum illa rationis plane expers est,  
ista de ratione participat, hæc autem per  
essentiam prorsus est rationalis: quæli-  
bet etiam suo gaudet instinctu seu appre-  
titu, illa quidem naturali, ista autem a-  
nimali, hæc vero rationali, estque ipsa  
voluntas. Intellectus adeo & voluntas pri-  
mariæ & propriæ animæ humanæ sunt  
facultates: *Recta* autem *Ratio*, de qua nunc,  
eadem cum intellectu Facultas, distingui-  
tur παχυλῶς sumpta, ab illo, ut magis &  
minus, sicut eorum conjugata intelligere  
& ratiocinari: quomodo autem a lumine  
& lege naturæ ac σωτηρίσει differat, vid.  
Rudr: In practicis sumitur habitualiter  
& actualiter, & est ipsum rectum naturale

intellectus judicium, ex principiis natura no-  
tis, juxta legem ac lumen naturae, de rebus  
civilibus moralibusq; de promptum. Nec heic  
prætereunda nobilis illa judicij rationis  
practicæ in *absolutum*, quo aliquid bo-  
num vel malum in se spectatum; & *com-  
paratum*, quo aliquid, expensis circum-  
stantiis, faciendum fugiendumve judica-  
tur: quæ multum inter se differunt, sæ-  
pe etiam pugnant, & hinc oritur lucta  
ista rationis secum. De appetitu, præ-  
ter concupiscibilem & irascibilem, vi-  
debamus modo, nunc præcipue intelli-  
gitimus sensitivum, estque secundum  
Dn. D. Dithm: *motus cordis acquisitus*,  
*ad usum moralem determinatus*. Non enim  
quæritur stoicorum *anagnosia* sed eorum  
moderatio sive *μετελεσταθεια*.

### §. V.

**P**otentiae hæ licet unius imperii cives  
sint, (non enim incommodo homo  
imperio civili ab eruditis comparari  
solet, in quo *recta ratio ad clavum o-  
mnino sedere ac præesse debet, voluntas,*  
cili-

scil. qua actus Morales, regina est, intellectus consiliarius, nervi rerum gerendarum, variæ animæ vires, subditi affectus rationis sceptro læpe graves, & sic deinceps) non tamen semper amice conspirant, quin nunc occultis agant infidiis, nunc aperto marte classicum canant ac congregiantur; cum affectus sint instar equi calcitrofi lessorem non patientis; rectorem tamen de throno deturbare haud poterunt, si masculine suas obeat partes. Ubi sciendum imperium rationis non adeo esse absolutum, qvin agnoscat superiorem, legem scil. eternam, & ex hac derivatas alias, ceu normam actionum moralium, cum ipsa alias errori sit obnoxia; quod etiam clare ostendit græc. ἀνομία, i Joh. 3.4. nec est δεσμόν, sed πολιτεύον, & velut in blanda regiminis forma, syadendo geritur.

## §. VI.

**I**N existentiam hujus luctæ anxie ut inquiramus, præter id, quod jam dictum est, non videtur e re; ipse namque

rerum magister usus quemvis hoc satis edocet; & præterea ostenditur Rom: 2. 14. 15. ubi ὁ λογισμὸς μετέξη ἀλλήλων καὶ ηγορεῖν καὶ ἀπλογεῖσθαι dicuntur: nec le-  
tū indigna sunt, quæ hanc in rem ha-  
bet Cic: Off: I. *Appetitus*, grece ὅρμη, in-  
ter alia dicit, *hominem buc & illuc rapit*;  
imo saepe, excusso rationis jugo, quam  
audire deberet, non tam vera & hone-  
sta, quam apparentia & jucunda secta-  
tur bona,

*Ut cum carceribus fese effudere quadrigæ,  
Addunt se in spatiis & frustra retinacula  
tendens*

*Fertur equis auriga, neque audis currus  
babemas.*

Virg: I. Georg. quibus addi potest Arist.  
Lib: I. Eth. Nic.

### §. VII.

Quilibet adeo in semet ipso diversas  
Inclinationes & propensiones, dum  
aliud ratio, aliud appetitus fvatet, atque  
illa huic & hic illi adversatur, persen-  
tiscit; Causam vero & originem hujus  
diffidii, nec Aristoteles, nec ullus gen-  
tili-

tilium intellexit; quippe qui labem primævam prorsus ignorarunt: Quærentes eam, vel in temperamento, vel materia prima. Insigniter etiam heic errant Romanenses (ut nihil dicam de Pelag. aliisque actum etiam secundum urgentibus) qui cum suo Bellarm. lib. I. de gr. pr. hom. cap. 5. Protoplastos cum rebellione virium primitus fuisse conditos, illa autem ut coerceretur, accepisse supernaturale donum iustitia originalis, quo per lapsum amissio, concreatam rebellionem in actum erupisse, fallo docent. Nos nostrates Theolog: meliora ex S. Scriptura, Eph. 4. 24. ubi, *καὶ δικαιοσύνη νὸς ὀσιότητος τῆς ἀληθείας, in vera iustitia & sanctitate dicitur conditus homo,* & Eccl. 7. 29. *מְצַאֲתִי אָשֶׁר עָשָׂה הָאֱלֹהִים אֶת־הָאָרוֹם וְשֶׁ* i. e. rectum; Doctos sequi, natales ejus, non in statu *τῆς πλειόνης*, sed *ἀποστασίας* invenimus. In Protoplasticis nostris nulla prorsus erat *δικαιοσύνα rationis & appetitus, spiritus & carnis:* in mente enim radius divinæ lucis fulgebat, voluntas in ea suavissime acquiecebat; & ratio hominis DEO,

rationi voluntas, voluntati omnes reli-  
quæ potentiaæ subditæ erant, atque ita  
nulla ἀνομαλία in toto erat homine. Ve-  
rum, proh dolor! post tristissimam  
Protoplastorum παρέβασιν, tam admi-  
randa ἀγρυπνία desit.

### §. VIII.

**V**erum μὴ σκέψεις χρεῖαι ὄρχεμεθα, neve  
*extra oleas vagemur*, sui luctæ huic  
constituendi sunt termini, præsertim  
cum non defuerint, qui dictum Eurip: in  
Med. Τὰ χρήσις ἐπισάμεθα καὶ γνώσκομεν,  
ἢ δὲ σκηνῶμεν. Et querelam Apostoli  
Rom. 7. 19. Οὐχὶ θέλω, πῶι ἀγαθὸν: αλλ'  
ἢ οὐ θέλω κακὸν, τότε περίσσω. eodem ha-  
buerunt loco: Sciendum ergo dupli-  
cem in homine dari pugnam, naturalem  
unam, alteram spiritualem; illam jam vi-  
dimus, estque ea, quam hominis, etiam  
non renati, conscientia & συντήρησις exer-  
cit adversus vitia, cum lumine & hone-  
state naturali pugnantia, Rom: 2. 14. 15.  
& 1. 32. Hæc vero est spiritus & carnis  
& invenitur in solis renatis: Ubi per  
Ipsi.

*spiritum* intelligitur, quicquid ex gratia & regenerationis beneficio habetur: *Carnis* autem nomine venit id, quod ex hominis natura, & corruptione reliquum est. Hæc ex reliquiis veteris, & primitiis novi hominis ortum trahit. Differunt adeo hæc luætæ toto cœlo, imo tota sua essentia: nim: (  $\alpha$  ) *causa* & *effi-  
ciente*, vid. Rom: 8. 9. seq. & *formali*,  
(  $\beta$  ) *fine*, (  $\gamma$  ) *materia in qua*, sive *subje-  
cto*, & denique (  $\delta$  ) *objecto*; A quo, ab una parte, excluduntur primi concupiscentiæ motus, quorum noxa gentilibus plane fuit ignota; ab altera vero, non illi solum, & quidem involuntarii, sed & defectus boni & perfectionis debitæ includuntur. Quod notasse sufficiat, non enim licet nobis esse prolixos.

### §. IX.

JAM, *Coronidis loco*, in quam partem, in an-  
cipiti hoc prælio, *Victoria* inclinare vel  
possit, vel debeat, ut &, de ejus *effectu*, pau-  
cissimis dispiciendum. Certum equidem  
est, intellectum hominis, per lapsum, mi-  
serere

sere esse occæcatum, *Eph:4. 18.* Et quidem, qua *objecrum spirituale*, in totum, qua *morale* etiam partialiter: Attamen, juxta legis naturalis præcepta, omnibus, generalia ad minimum, nota, potest homo verum morale bonum a malo, honestum a turpi, discernere, illudque præ hoc eligere: Cumque libero gaudeat arbitrio voluntas, & facultatibus superioribus in inferiores competat imperium, Vid. Gen: 4. 7. licet & hæ repugnandi licentiam sibi arrogent, penes eundem utique erit affectus ita sopire, prout hoc argute satis, judice *Pufend.* ostendit *Cartes.* in *de Pass.* ne in actum erumpant vitiosum. Quod si a quoquam effectui perpetuo daretur, ad felicitatem civilem sufficere posset; cum moralia, non tam *internos motus*, nullum effectum aut signum foras prodentes, quam *exteriores actus* respiciant atque forment: Theolog. autem de iis actibus, qui, ut ex Seneca loquitur Putend. sunt *extra publicas tabulas*, rectificandis, sollicita est frequentius. Iam do-

docent Ethici communiter, dum virtutem in perfectam & imperfectam distinguunt, illam esse, cum, affectibus plene & plane devictis, promte sine ulla lucta secundum virtutem vivitur; hanc autem exerceri cum pugna appetitus rationi resistentis, quam etiam virtutem esse negat Wendl. Atqui talis congruentia omnium affectuum & facultatum, cum regula rectae rationis, in hominem, in hac vita, non cadit: non enim vivitur cum perfectis, fatente Cic: Off. I. Et quis unquam, ut loquar cum Dithm: talem cognovit virum, cuius mens, voluntas, affectus & motus denique omnes in tali aequilibrio constiterint, ut nunquam in alteruiram partem deflexerint, aut appetitus imperium voluntatis non excusserit. Semel insanidimus omnes, ut Lipsius recte dicere solitus est. Nemo sine crimine vivit. Nulla adeo alia virtutum omnium perfectio in uno datur, nisi quatenus est *imago, Simulacrum & imitatio* quædam *virtutis*, quam recte quærunt & describunt Moralistæ, *perfectissima*; sicut nec *Summum Bonum*, ni-

si in descriptione, *perfectum*: hoc autem mihi, ut pingui liceat agere minerva, videtur esse a prudentibus expositum in ea perfectione, cuius non est capax humana infirmitas, velut metam, ad quam summo nisu omnes properare debent; & quo longius quis, in hoc virtutum stadio, fuerit progressus, eo solidiore dignus censebitur laude, in hoc est aliquo prodire laus, si non datur ultra. Horat: vid. si placet, Cic. in Lel. de viro agens bono. Quod tamen contra cuiusquam dictum sit, præjudicium, quilibet suo abundet sensu.

Et sic, summis saltim lectis vestigiis, manum de tabula, licet in amplissimos moralis disciplinæ, ut & Mythologiæ, campos expatiandi materia hæc præberet aniam, urgens necessitatis trahit telum, cui impar sum resistendo. Quod tamen antequam fiat, monendum circa §. ult. nos tanto minus negare, ut etiam veneremur θεον illud, ab Arist. ὅπερ ἀθεω-<sup>τητόν</sup> à dictum, quod in moralibus invenitur, *virtutem* scil. *heroicam*, quæ pro-  
priissi-

o o 19 &amp; o

priissime sumitur pro admiranda &  
 plane divina virtute, v. c. fortitudine, sive  
 spirituali, cuius exemplum etiam in  
 Megal. nostro Lutero habemus insigne,  
 sive civili, sive bellica; cuius partes ve-  
 lut essentiales, quod notasse non pigebit,  
 a Prætor: καὶ λέγω ponuntur, impetus  
 extraordinarius, constantia summa & felicitas  
 admiranda: Exempla hujus plura proferri  
 solent, nec de paucis, nobis, in dulcissima  
 nostra Patria, in sinu gratulari & pos-  
 sumus & debemus; Omnibus autem  
 non difficilem solum reddidit, sed  
 & præripuit palmam hanc REGUM  
**Augustissimus CAROLUS XII.**  
**Rex noster Invictissimus, Cle-**  
**mentissimus, cui æternum be-**  
**nedicat Omnipotens**  
**DEUS!**

Ἄ μόνῳ Δόξα ἀιώνιος!